

Francisco Suárez, S. J.
DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM, DISP. 6, S. 4

<365> *Quid sit bonitas accidentalis ex fine in actu interiori voluntatis.*¹

1. Prima opinio in hac quæstione.—Duo possunt esse modi dicendi, prior est hanc bonitatem esse rem aliquam, vel realem modum intrinsece superadditum actui bono ex objecto, ratione cuius tendit in finem. Cui sententia favere videtur D. Thomas 1, 2, quæst. 18, art. 4, ad 2, dicens quod licet finis sit causa extrinseca, tamen relatio in se inhaeret actioni, et potest suaderi primo; quia actus voluntatis sic bonus, vere, ðrõ proprie est propter finem illum, a quo sumit hanc bonitatem: ergo revera tendit in illum: ergo ab illo accipit aliquem modum, vel specificationem intrinsecam, et realem respecta cuius ille finis se habet, ut ratio formalis specificans. Secundo, quia omnis bonitas voluntatis oportet, ut sit aliquid reale, alioqui vel nihil erit, nisi denominatio extrinseca, vel relatio rationis: hæc autem non possunt habere rationem formalis bonitatis, quia per hæc non efficiuntur boni, sed realibus actibus quibus aliquid volumus. Et confirmatur, nam si hæc bonitas solum esset denominatio quædam, nihil magis referret ad virtutem, vel meritum, quam bonitas exterioris actus: hoc autem videtur esse contra rationem bonitatis interioris voluntatis, quia bonitas voluntatis debet esse intrinseca, et in hoc differt ab aliis exterioribus actibus. Tertio, nam si hæc bonitas est denominatio, peto a quo actu sumenda sit: aut eum ab intentione ipsius finis, et hoc non, alioqui eadem ratione dicebatur esset omnem electionem esse bonam tantum per denominationem extrinsecam ab intentione finis, quia ab illa maus, et imperatur eodem modo, aut ab actu imperante, qui respiciat directe actum imperatum interiorem et objectum. Et

hoc etiam non videtur dici posse, alias nunquam si bonitas ex fine reperiretur in actu voluntatis, nisi quando voluntas reflectitur per actum supra alium, quod videtur falsum, nam si quis velit dare elemosynam propter satisfactionem, ibi bonitas est accidentaliter ex fine, et tamen nulla est reflectio actus interioris supra alium, sed tendentia directa in exteriorem actum.

2. Secunda opinio.—Secundus modus dicendi est, actum interiore voluntatis solum dici bonum ab extrinseca fine per denominationem extrinsecam ab alio actu ejusdem voluntatis, a quo aliquo modo imperatur; loquor autem de actu alio bono ex objecto, nam solum respectu illius est proprie hic finis extrinsecus, et bonitas ex illo sumpta accidentaliter est. Sed sententia mihi verior videtur, quam indicavit Cajetanus 1, 2, quæst. 44, art. A, dicens hanc bonitatem esse extrinsecam modum actus, sumitur etiam ex eodem Cajetano 1, 2, quæst. 20, tribus primis articulis iuncta doctrina ejusdem in 1, 2, quæst. 18, art. 6, nam ibi dicit omnem bonitatem ex fine per se primo esse in interiori actu, in exteriori vero per denominationem ab illo; hic autem dicit actus imperari a voluntate, ut sic, quoad hoc numerandos esse inter actus exteriores, quia alioqui sint elicit, potest etiam hæc sententia sumi ex eodem D. Thoma, 1, 2, q. 13, art. 1. Clarius ex quæst. 2, de Malo, art. 4, ad 9. Item ex omnibus locis, in quibus docet huiusmodi finem non esse objectum, sed circumstantiam etiam respectu interioris actus voluntatis.

3. Atque hinc sumi potest ratio a priori sententiæ, quia huiusmodi finis nullo modo est objectum nec materiale, nec formale illius actus, qui denominatur ab extrinseca fine; ergo in illo actu nulla est intrinseca tendentia, vel habitudo ad talem finem. Patet consequentia; quia interior actus solum habet intrinsecam habitudinem. et tendentiam ad objectum, item quia si hoc modo tenderet in illum finem, esset volendo illum, vel propter illum tanquam ad rationem objectivam: si ergo ille finis non est objectum, neque in actu esse potest intrinseca tendentia in illum: ergo bonitas illa ex fine non potest esse aliquid intrinsecum in tali actu, quia necessario diceretur habitudo, et tendentia in illum finem. Superest probandum primam autecedens, quod primo declarator exemplo. Nam quando

aliquis vult amare Deum propter meritum, licet illa voluntas prior habeat pro objecto amorem Dei, tamen ipse amor, qui est vi illius exercetur, solum habet Deum pro materiali objecto, quia solum Dei amor est: similiter, quamvis bonitas meriti, ut sic, sit formalis ratio objectiva prioris voluntatis, non tamen amoris Dei: nam si est verus amor charitatis, solum amat Deum propter bonitatem ipsius: ergo respectu huius actus ille finis; non se habet ut objectum, sed ut causa movens remote, ut significavit D. Thomas I, 2. quæst. 18, art. 4. Ratio autem est, quia unus actus unum tantum habet materiale objectum et formale: quando ergo hoc est intrinsecum, totum id, quod extrinsecum est, non habet rationem formalis objecti.

4. Secunda principalis ratio conficitur ex longo discursu supra posito, disp. 4, sect. 3, de specificatione ex objecto, et de pura electione, quia id, quod dicitur intrinsece addi actui ex fine, non potest esse partialis entitas, nec modus realis intrinsece illi primò inherens. Primum constat ex rationibus supra factis, quæ hie breviter urgeri possunt: nam si ibi sunt duæ entitates: una est, verbi gratia, penitentia: alia est misericordias elicentis, quia suppono objectum, et finem ad virtutes divergentes, sed deo distincti. Cur enim, aut in quo unirentur? aut cur non generarentur unum habitum similiter compositum ex duplici virtute? item revera illa entitas, quæ specificaretur ex fine penitentia, non esset imperata, sed elicit a virtute penitentia: esset ergo ille actus elicitus a duplici virtute secundum partes diversas, quæ omnia absurda sunt.

ergo non est duse partiales imperati et extrinsecus ordinati in ipsum non

5. Altera vero pars de modo intrinseco, facile etiam excluditur ratione proxime facta, et ipsi si daretur talis modus, ille haberet propriam speciem a fine, quem respiceret ut objectum proprium, finis autem, qui ita habet rationem objecti, est per se sufficiens ad constituendum proprium actum distinctum ab omni alio: nunquam ergo dat accidentalem modum alteri actui. Quod ita potest etiam intelligi, quia si ille esset modus intrinsecus accidentalisque actus supponeret substantiam ejus, et superveniret illi: hoc autem esse non potest respectu finis, quia omnis tendentia intrinseca voluntatis in finem est prior quocumque actu im-

perato ex tali fine. Ultimo est apud me sufficiens ratio, quia hæc denominatio sufficit ad omnia quæ possunt convenire huic actui: et ex vi imperii voluntatis, ut sic, nihil aliud necessario additur actui imperato præter substantiam ejus, quam habet ex propria facultate, et objecto ejus; ergo nihil aliud fingendum est, neque est necessarium. Major patet, quia hoc ipso quod intelligitur actus ex objecto bonus, et imperatus ab alio etiam bono tendente in bonum finem extrinsecum, et ordinante actum imperatum in illum, intelligitur sufficiens bonitas intrinseca utriusque actus, et extrinseca informatio, vel denominatio utriusque ab alio. Minor vero patet in actibus extendis a voluntate imperatis, quia ab illo imperio denominantur boni, etsi nihil in eis ponat præter substantiam eorum; et ratio est, quia hoc Imperium non consistit nisi in quadam efficientia, fortasse non physica, sed moraliter per consensionem et Subordinationem potentiarum ejusdem animæ: hæc ergo ratio imperii nihil potest in actu imperato, nisi dependentiam quamdam, quasi applicationem ad opus, ratione cujus unus actus denominatur ab alio, et refertur in finem suum: ergo idem est iudicium de bonitate solum fundatum in hoc imperio.

ti. Ad primum argumentum, in num. 1.— Ad primum argumentum in principio factum, respondetur finem extrinsecum respectu actus

habere rationem objecti, nec materialis, nec formalis, sed circumstantiæ, seu causæ remotæ; moventis, et applicantis voluntatem ad talem actum medio actu intentionis, seu electionis, ut satis significavit divus Thomas, 1, 2, quæst. 18, art. 4, distinguens finem ab objecto, et dicens a fine sumi bonitatem, ut a causa bonitatis, et q. 19, art. 2, ad 1/dicens respectu actus voluntatis, finem habere rationem objecti, præterquam cum finis ordinatur ad finem, et intentio ad intentionem: quapropter in actu sic ordinale non oportet intelligere intrinsecam dependentiam in talem finem, sed solum dependentiam ab alio actu respiciente illum finem: et hoc modo dicitur esse propter finem denominatione extrinseca, sicut actus exterior: quapropter ille actus non proprie habet rationem electionis, sed potius medii eliciti, et quasi usus passivi.

7. Ad secundum argumentum in eodem n. i. —Ad secundum re-

spondetur ex actu imperante et imperato, ut sic, quodammodo componi actum moraliter unum, sicut ex actu interiori et exteriori, et hoc modo dicitur ille actus meritorius, et formaliter bonus, et efficere hominem bonum: sed hoc totum habet ratione actus imperantis, actui tamen imperato, ut sic conveniunt hæc per denominationem extrinsecam, seclusa bonitate, quam talis actus potest habere ex suo objecto, nam ut sic, habet rationem actus interioris eliciti a voluntate, et in hoc est differentia inter illum et exteriorem, per quod responsum est ad confirmationem.

8. Unus modus quo satis fit argumentum tertium in eodem num. :- Tertium argumentum petit, quis sit actus voluntatis, a quo sumitur hæc denominatio; ad quod respondetur denominationem hanc posse sumi duobus modis in argumento insinuatis. Primus et clarior est, quando intercedit formale imperium unius actus voluntatis ab alio, scilicet, quia unus actus cadit in objectum formaliter volitum sua propria ratione et motivo, qui modus operandi facilius contingit quando actus imperatus est vere interior, ut in volo amare, dolere, etc., et tunc facilis est responsio ad argumentum, nec difficultatem ullam habet, quod voluntas huiusmodi reflexionem facile faciat: quando autem actus imperatus est exterior, ut elemosyna, jejunia, etc., tunc frequenter potest accidere, ut ab eodem actu electionis effectus, quæ immediate fit propter finem operantis, imperetur etiam talis actus exterior, et tunc in actu interiori nulla erit bonitas sumpta ab alio actu exteriori, ut ab objecto, ut supra dictum est, et consequenter neque actus exterior, ut actus est, denominabitur bonus, nisi bonitate sumpta ex fine media electione; aliquando vero potest actus exterior, et propter se, et propter extrinsecum finem imperari immediate, et tunc erunt in voluntate duo actus sese concomitantes, et eundem exteriorem actum dupliciter denominantes; tandem potest interdum voluntas per electionem factam ob finem extrinsecum imperare totum actum alterius virtutis, ut compositum ex exteriori et interiori, ut quando ex intentione merendi imperio mihi actum misericordiam, non tantum externum, sed etiam voluntatem miserendi, quia etiam illa est actum medium ad talem finem, et tunc eadem est ratio de tali actu, quæ de medio interiori: quando autem voluntas operetur uno, vel alio modo, non potest facile discerni nisi in bis, qui magna an-

imadversione, et reflexione operantur: potest autem conjectura snmi considerata ratione finis et mediorum, sen actuum et proportionem eorum inter se.

9. Alter modus.—Alter modus, quo potest hoc imperium, sen relatio in finem excogitari est ex vi solius intentionis immediate transeundo ad eliciendum actum alterius virtutis, omissa formali electione media: ut si quis babeat intentionem bene merendi coram Deo, et consulat de mediis, seumodo, etjudicet amorem Dei propter se ipsum et super omnia esse aptissimum ad illum finem consequendum, potest, ut videtur, voluntas pro libertate sua statim elicere amorem Dei propter seipsum, in quo apparet magna differentia inter actum exteriorem et interiorem, nam exterior pendet omnino a formali applicatione voluntatis, et ideo quamvis voluntas intendat finem, et intellectus judicet motionem manus esse aptum medium ad illum finem, nunquam manus movebitur, donec voluntas eligat, et utatur illa: at vero voluntas potest se ipsam determinare immediate ad actus suos, et accidentarium est, quod per unum actum determinetur ad alium quoad exercitium, et ideo si ex parte intellectus sit objectum sufficienter propositum, potest immediate exire in actum elicatum ante actum formaliter imperantem, et forte hic operandi modus frequentissimus est.

1 The Latin text is from the Vivès edition.